I.N.D.N.J.C.

DISPUTATIO JURIDICA

De

INFANTIBUS EXPOSITIS,

vulgo

von Findel-Kindern/

quam

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,

Consensu & autoritate Magnifici JCTORUM Ordinis

Sub PRÆSIDIO

DN. AUGUSTI BENEDICTI CARPZOVII,

J.U.D. Pandectarum Prof. Publ. & Facultatis Juridicæ Assessoris,

placidæ Eruditorum ventilationi submittit

AUTOR

DANIEL Petermann/ Delitio-Misn.

Die XIII. Decembr. Anno M.DC.LXXVII.

H.L.Q.C.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI. 1702.

PROOEMIUM.

QVodſi ſacrum pariter atqve profanum evolvimus Codicem, ſubinde amoris deprehendimus mentionem: vix autem inter ullas perſonas intercedere vehementiorem, qvàm inter parentes atqve liberos verè qvis arbitrari poteſt. In illo eqvidem magni æſtimatur is, qvem conjuges inter ſeſe fovent, amor, ut & propter hunc homo parentes deſerere, ſuæqve inhærere uxori dicatur: (*Gen.2.*) In his verò penſi habetur ille, qvo proſeqvuntur ſe invicem fratres, ut & propterea frater fratris in ſe ſuſcipere tutelam, propter ſolam, qvæ à lege præſumitur, fiduciam nunqvam non teneatur. *Schneid. ad §. unic. I. d. fid. tut. n. 1.* Aſt majoris multo, imo maximi rectè putatur iſte, qvo parentes in liberos feruntur, amor. Sacrum enim Codicem iterum ſi ſpectamus, Miſericordiſſimi φιλανθρωπίαν, qvâ certè nullus vehementior unqvam extitit amor, cum amore paterno (*Pſalm. 103.*) maternoqve (*Eſaia 49.*) comparare non dubitat ille: hic verò nullum amorem parentum amorem vincere ingenuè aſſerit *l. ult. C. de curat. furioſ.* In cauſam ſi inqviras reddit eam Gellius: ita enim ille *libr. 12. N. A. c. 5. Natura omnium rerum, qvæ nos genuit, induit nobis inolevitq; in ipſis ſtatim principiis, qvibus nati ſumus, amorem noſtri ipſius & caritatem, ita prorſus, ut nihil eſſet carius penſiusq; nobis, qvàm noſmet ipſi:* qvî poſſumus ergo non rapi in liberos noſtros propter ſangvinis communionem corporis noſtri partes, amore longè maximo. Hæc autem licet ita ſeſe habeant, dantur tamen (proh dolor!) parentes, qvi divinum pariter atqve naturale imo omne jus, parum attendentes, plus qvàm belluinum liberis ſuis animum oſtendunt; nihil jam dicam de iis, qvi liberorum vitiis indul-

gent nimis, inqve eorundem educatione debitam non adhibent diligentiam: nec de iis erit mihi sermo, qvi educatis ad nefanda qvælibet vitia svasores sunt & autores: sed de iis saltem in præsenti, qvi recens natis atqve sangvinolentis alimenta denegant, & ut crudelissimo, qvo nullum violentius fingi potest, ut sunt verba Rittershus. *ad Nov. p. 12. c. 14. n. 3.* mortis genere pereant, exponere eos rubori sibi non ducunt. Commissum est crimen hoc à sensu humano alienum, ut loqvitur Justinianus *in Nov. 153. pr.* pristinis temporibus: fuit enim talis crudelis avus olim Persarum Rex Astyages & Tartesiorum Gargoris, uterqve nepotem ex filia exponere jubens, prout utriusqve crudelitatem recenset Justinus, illius *libr. 1. c. 4.* hujus *libr. 44. c. 4.* Sic Semiramidem nomen obtinuisse ab avibus, qvas exposita alumnas habuit, refert *Zevecot. in not. ad Flor. l. 1. c. 1.* Et utinam in antiqvâ saltem historiâ deprehenderemus nefandi hujus sceleris exempla: verùm hodiè

> Ætas majorum pejor avis tulit
> Nos neqviores.

Ut enim tacitus prætercam Comitissam illam octo infantes unâ vice exponi curantem, cujus mentionem facit M. Cyriac. Spangenberg *in Chron. Querfurt.* de hoc circa Lipsiam saltem admisso tres masculini qvatuorqve fœminini sexus attestantur subjecta in ergastulo existentia. Inde sedet animo circa hanc in foro versatissimam materiam rerum mearum amplificatoribus qvalemqvalem meam industriam Academicam probare; ita autem negotium absolvam, ut distribuam thema in partem theoreticam atqve practicam: in priori proponenda erit terminorum explicatio, thematis definitio, atqve divisio: in posteriori verò conditio ipsorum infantum expositorum inventorum, & magistratûs tam circa infantes, qvam exponentes officium, aliiqve casus, qvi circa hanc expositionem verisimiliter contingere possunt, decidendi. COEPTIS DIVINA NON DESIT CLEMENTIA!

PARS I. THEORETICA.

§. 1.

Methodo nostræ ut satisfaciamus, binorum vocabulorum primo statim loco consideranda est etymologia. 1. infantis, 2. expositi: utriusqve est facilis; qvis enim ignorat infantem dici à præposi-

positione *in* hoc in casu minuente, & verbo *fari*, qvasi dicas non fans? Wisenb. *ad l. 5. ff. de R. J.* Qvem itidem præterit, τὸ expositus compositum esse ex præpositione *ex* & verbo *ponere?*

§. 2. Sicuti autem etymologia horum verborum simplex est atqve plana: ita homonymia varia in legibus deprehenditur, 1. enim infantis vocula denotat omnem filium filiamvè, cujuscunqve sit ætatis *arg. l. 41. §. ult. de legat. 3.* licet in lucem nondum fuerit editus *l. 26. §. 2. ff. de fideicomm. libert.* 2. sumitur pro puero vel puella unius, duorum, trium, qvatuor, qvinqve, sex, aut septem annorum, qvi qvævè loqvi non potest *l. 1. §. 2. admin. & peric. tut. l. 14. ff. de sponsal.* ubi per vocabulum loqvi non intelligimus signis indicare, qvid teneat qvis altâ mente repositum, qvam explicationem vocabuli loqvi dicunt nonnulli esse propriam, & hinc inferunt, Angelos propriè loqvi posse: Ast qvàm firmo hæc explicatio nitatur talo, patet ex eo, qvod hâc ratione mutos etiam propriè loqvi posse dicendum sit: nec dein per vocabulum loqvi intelligimus cum Varrone *l. 5. de lingv. lat.* significabilem vocem emittere, aliàs nostra everteretur significatio, Philipp. Matth. *ad l. 5. ff. de R. J. n. 10.* sed per τὸ loqvi intendimus, unà cum verbis prolatis scire atqve discernere posse res atqve facta, qvæ verbis ipsis indicantur, qvod factu est difficile annis septem natis & infra, non secus ac furiosis *l. 9. ff. de acqvir. vel amitt. hered.* 3. sumitur pro pueris puellisvè de utero matris excedentibus *l. 15. ff. de stat. hom. l. 19. §. 7. ff. locat.* & qvia infantes recens nati ut plurimum exponuntur, ultima præ cæteris acceptio est hujus loci.

§. 3. 2. Exponere qvoqve non semper idem denotat: nonnunqvam enim idem est ac emittere; sic cautionem vel epistolam exponere legimus in *l. 25. §. 4. ff. de prob. & præsumpt. l. ult. ff. de constit. pecun.* nonnunqvam idem est ac referre & explicare: sic memoriter aliqvid exponere, & causam, rationes exponere passim legitur apud Ciceronem aliosvè: nonnunqvam idem indicat, ac aliqvid in certum reponere locum, ut cuilibet ad id pateat aditus; sic exponi dicuntur merces, & sic exponi qvoqve dicuntur infantes recens nati, vid. Calvin. in *Lexico. jurid.* & plura apud Alph. à Caranza *tr. de partu cap. 4. n. 3. seqq.*

§. 4. Sicuti autem Latinis tales infantes veniunt nomine expositorum seu expostitiorum, desumto ab antecedentibus: sic à conse-

 qven-

qventibus Germanis dicuntur præcipue Findelkinder / Findlinge / nonnunqvam qvoqve weggeworffene Kinder / vid. Besold. *Thesaur. Pract.* Græcis *ἀπρονόητοι* i. e. omni curâ & præsidio destituti, it. *χαμαιριφῆ βρέφη* Rittersh. *ad Nov. p. 12. c. 14. n. 3. & 4.*

§. 5. Hisce præmissis definio infantes expositos, qvod sint infantes à parentibus vel ab aliis parentum jussu abjecti, ad evitandam vel infamiam vel alendi necessitatem vel infantis mortem.

§. 6. Genus in definitione posuimus infantes, cujus ratio est in aprico: Causa vero efficiens remota est vel propinqva: Illa voluntas seu consensus *arg. l. 53. pr. l. 39 ff. de furtis.* non qvidem interna, qvæ in mentis agitatione consistit, nullamqve patitur pœnam *l. 18. ff. de pæn.* sed externa, qvæ cum effectu conjuncta est, & qvidem I. parentum: Hisce enim ignorantibus atqve invitis si surripitur infans, culpæ rei non sunt, qvin potius furtum commissum esse dicendum est per *l. 14. §. 13. ff. de furt.* qvod vulgo plagium appellatur & competit parentibus vindicatio *l. 1. §. 2. ff. de* R.V. vid. Carpz. *in Pr. Crim. q. 83. n. 85. seqq.* II. exponentium, ubi Qvæst. an in his semper debeat esse libera, ut locum habeat pœna? seu an filii vel servi obedientes parentibus vel dominis liberosqve exponentes delicti hujus se faciant reos? videtur, qvod non, qvia velle non creditur, qvi obseqvitur imperio patris vel domini *l 4. ff. de R. J.* qvia verò hæc plerumqve à Dd. ad delicta saltem leviora restringitur *l. 157.* ibiqve Wissenbach. nec illo casu omnem planè pœnam effugit servus, Philipp. Matth. *ad l. 157. ff. de R. J. n. 13.* hoc verò delictum inter leviora referri vix potest, vid. Carpz. *in Pr. Cr. q. 102. n. 57. seqq.* affirmare non vereor, & hos hujus delicti dignos judicare pœnâ propter *l. 20. ff de O. & A.* Carpz. *in Pr. Cr. q. 4. n. 7.* Philipp. *in Usu pract. Inst. libr. 3. ecl. 84. n. 9.*

§. 7. Proxima verò consistit in operâ vel parentum ipsorum, vel dominorum, patronorum, de qvibus *in l. 2. C. h. t.* Caranza *de part. c. 4. n. 64 seqq.* vel aliorum extraneorum: & licet utplurimum hæc res committatur iis, qvi sunt sanæ mentis, expediri tamen qvoqve potest per eos, qvi ratione uti nesciunt, ut sunt furiosi & mente capti, ebrii, de qvibus in alterâ parte §. *14. seq.*

§. 8. Causa finalis iterum est varia: exponuntur enim infantes, ut evitetur vel mors infantis, qvam ob causam Moysen expositum asserunt Pandectæ sacræ *Exod. 2. v.* Alph. à Caranza *de part. c. 4 n. 1.* vel parentum

tum

tum infamia vid. Menoch. *d. arb. jud. 1. quæst. cauf. 396. n. 6.* & fornicationis pœna Carpz. *in Pr. Cr. q. 10.* vel alendi necessitas *arg. l. 2. C. de patr. qui fil. distrax.* vel ut infans pereat, vel ut ipsius indicetur pater, wenn einem ein Kind für die Thüre geleget wird. etc.

§. 9. Objectum constituunt ipsi infantes, qvi variè dividuntur: I. enim sunt generis vel masculini, vel fœminini, ubi Qv: an exponens infantem masculini generis graviori pœnâ plectendus sit, qvàm exponens fœmellam? Resp. Neg. *arg. l. 1. §. 2. ff. ad L. Corn. de Sic.* Treut. *V. 2. D 32. th. 5. lit. E.* licet enim masculorum genus fœminarum sit dignius *l. 1. & 8. ff. de Senat.* & naturâ perfectius, Arist. *libr. 1. pol. c. 5.* attamen masculi non magis, sed æqvè sunt homines, ac fœminæ, & ubi singulare constitutum non reperitur, par est utriusqve sexus fortuna *l. 4. C. de liber. præter.* qvia utraqve persona in procreatione hominum simili fungitur naturæ officio *§. 5. I. de exher. liber.* Huic autem assertioni obstare videtur *art. 3. libr. 3.* Landr. ubi dicitur fœminâ occisâ dimidium saltem solvi Werigeldi, iegliches Weib hat ihres Mannes halbe Buße und Wehrgeld. Resp. Aliud esse Werigeldum, aliud verò pœnam homicidii: illud enim non solvitur tanqvam pœna homicidii, sed saltem tanqvam mulcta pro injuriâ familiæ per culposum homicidium illatâ in locum pœnæ Legis Aqviliæ surrogata, Carpz. *part. 4. const. 11. def. 1. n. 2.* qvia verò per internecionem masculi major injuria infertur familiæ, qvam per mortem fœminæ *arg. §. ult. I. d. patr. potest.* merito majoris qvoqve æstimatur injuria Carpz. *p. 4. c. 11. d. 5.*

§. 10. Huc pertinent etiam hermaphroditi, utpote qvi omnino homines & qvidem illius sexus sunt, qvi in iis prævalet *l. 10. ff. de stat. homin.* Qvid verò dicendum de monstris, num ii etiam constituunt objectum expositionis hujus injustæ? Anteqvam ad hanc qvæstionem respondeam, placet præmittere, qvî fiant eadem, & qvot modis sumatur vocabulum monstri; qvâ in re cum videam multos eosqve magni nominis Dd. ablegare me ad Clariss. JCtum Johann Dauth, ad ipsum confugere non dubito: ita autem ille *in doctrinâ de testamentis p. m. 350.* de monstris docet: qvòd scilicet omnis partus monstrosus dividi possit in ἑτερομορφίαν, & partum, qvi talis non est: ἑτερομορφία est, qvando mulier partum producit in animalis irrationalis naturam planè deformatum v. gr. filium capite aut corpore canino, & de talis ἑτερομορφίας exemplo testatur M. Cyriac. Spangenberg im

Ehe-

Ehespiegel *conc. 56.* qvod Isenaci qvondam mulier qvædam enixa sit murem majorem sive glirem, ut & de multis aliis Hundeshagen *in exerc. Physic. exerc. 7. θ. 8.* Partus verò monstrosus, qvi talis non est, aut formam habet perfectam, aut ampliatam, aut deminutam, aut conversam: si forma est perfecta, accidere potest, ut homo magnitudine corporis nimiâ vel parvitate nascatur, qvos nanos & pumiliones vocamus: si est ampliata, contingit illa ampliatio vel in partibus majoribus, v. gr. si nascatur duobus capitibus, tribus pedibus &c. vel minoribus, si qvis nascatur sex digitis &c. si forma est deminuta, iterum distingvendum est inter partes majores & minores: vel forma est conversa, v. gr. si facies sit à tergo, aut in pectore &c. 2. notandum, qvod vocabulum monstri aliqvando sumatur latius, ita ut omne sub se comprehendat, qvod à justa humani corporis ratione recedit. Dauth. *c. l. p. 351.* siqve qvæstionem de monstris in hac significatione intelligas, eam affirmo: non enim statim ab hominum consortio sunt excludendi ii, in qvibus natura nonnihil à legitimo aberravit tramite *arg. l. 10. § 2. ff. de ædil. edict. l. 14. ff. de stat. hom.* Hahn ad Wesenb. *de stat. hom. n. 3. in fin.* aliqvando sumitur strictius, ut saltem comprehendat ἑτερομορφίαν & eos partus, qvi formam habent hominis conversam & in majoribus partibus ampliatam: siqve sumas monstra hoc sensu in qvæstione ita eam distribuo, ut de ἑτερομορφία eam negem, & licitè tales partus exponi posse affirmem: cum 1. planè non sint liberi *l. 14. ff. de stat. hom. l. 3. C. de posth. hered. instit.* ibid. Brunnem. *n. 13.* ut & 2. antiqvitus ea alere nefas fuerit, sed primo qvoqve tempore magistratibus talia denunciari oportebat, qvi procul in ignotas terras illa exportari curabant, uti testatur antea citatus Dauth. *pag. 354.* & Schönborn *l. 1. Polit. c. 6.* 3. qvia hisce monstris sacrum denegant baptisma Theologi, Luth. *in mensal. fol. 330.* Brochm. *in system. univers. theolog. de baptism. cap. 7. c. 4.* Kronmayer. *in theol. posit. polem. de baptism. θ. 8.* aliiqve. 4. qvia talibus neutiqvam decernenda sunt alimenta, Colerus *de aliment. l. 1. c. 2. n. 100.* 5. qvia monstra licet occidere sine metu legis Corneliæ Gottofred. *ad l. 135. ff. de verbor. sign. lit. r.* De iis autem, qvæ formam habent conversam, inqve partibus majoribus ampliatam, spinosior videtur qvæstio: qvamvis autem hisce effectus nonnulli juris civilis denegentur, qvod scilicet non rumpant nativitate testamentum *l. 3. in f. C. de posth. hered. inst.* qvod non sint habiles ra-

tione

tione succesſionis ab inteſtato, Schürerus *d. ſucc. ab.inteſt. reg 1 p 93.* nec ratione feudi acqvirendi *2. F. 36.* Schultz *in Synopſ. Jur Feud.cap. 8. n. 104.* propterea tamen licite eos exponi poſſe haud affirmabo, præcipue, qvia nec his ſacrum denegare lavacrum Theologos video. Brochm. *c. l.* conſentit *Wiſſenb. ad l. 38. ff. de V. S. n. 2.*

§. 11. II. Dividuntur infantes expoſiti qvod ſint nati vel ex nobismet ipſis, & ſunt naturales, qvi olim vocabantur ii, qvi nati erant ex concubine, qvam qvis unicam indubitato affectu domi loco uxoris habebat *c. f. cauſ. 32. q. 4.* adde Hahn. ad Weſenb. *de concubin. n. 2.* alio nomina vocantur nothi *Nov. 89.* item degeneres homines *l. ult. C de natur. liber in f.* vulgo baſtardi *Gloſſ. ad rubr. ff. de concub.* hodie autem per naturales tantum intelligimus ſpurios, & inter hos & illos nullam amplius agnoſcimus differentiam Brunn. *ad l. 2. C. de nat. liber.* cum concubinatus tanqvam res turpis plane ſit prohibitus Hahn. *cit loc. n. 3.* Johann. Philippi *in Uſu pract. Inſt l. 1. ecl. 71.* vel naturales & legitimi ſimul. Brunn. ad *l. 2. C. h. t. n. 1.* qvi ſunt ii, qui ex legitimo matrimonio procreati ſunt *pr. I. de patr. poteſt. l. 3. l. 6. ff. de his, qvi ſui vel alien. jur. ſunt.*

§. 12. Qværit. hoc loco ſi infantem talem inveniamus ignorantes ipſius natales, an pro ſpurio vel ſervo haberi debeat? Negativam arripiunt ex Palæotto *in Tr. de nothis c. 63* Menoch. *qvæſt. arbitr. c. 396. in f.* Mejer. *in C. J. A. ad L. Pomp. de parricid. θ. 5. n. 6.* Brunn. *ad l. 24. C. de Epiſcop. audient.* ratio videtur conſiſtere in favore infantis: His enim, cum parentibus omnibusque auxiliis paternis ſint orbati, tanqvam afflictis nova non addenda eſt afflictio: habent itaqve libertatem pro ſolatio qvodam calamitatis, qvam perpeſſi ſunt, ut loquitur Rittershuſ. *ad Nov. p. 12. c. 14. n. 7.* qvam juvat & hæc, qvod in expoſitione infantis Origo ſemper ſit dubia; in caſibus autem dubiis facienda eſt interpretatio in partem meliorem *arg. l. ff. d. his qvi ſui l.* Speckh. *cent. 3. c. l. 1. q. 14.* licet Friſiæ cœlo ſuisqve terris & moribus hanc ſententiam non convenire dicat Wiſſenb. *p 1. P. 4. ad. ff. n. 26.* & ſi forſitan ex errore talis infans natalium reſtitutionem peteret eamque impetraret, poſtmodum autem comperiret, ſe ex juſtis procreatum nuptiis, legitimatio ipſi non præjudicat *arg. § ult. I. de ingen.* ibiqve Rittershuſ. add. Caranz *de part. nat. & leg. c. 4. n. 49. ſeqq.*

§. 13. Vel nati ſunt ex iis, qui in noſtra poteſtate ſunt, quæ iterum

eſt

eſt vel paterna, ut ſunt filiæve, nepotes &c. §. 3. *I. de patr. poteſt.* vel dominica, ut ſunt ſervi §. 1. *I. de his qui ſui vel alien. jur. ſunt.* hi autem exponi poſſunt nobis vel ignorantibus, vel ſcientibus. Brunn. *ad l.* 1. C. *h.t.*

§. 14. III. Infantes expoſiti ſunt vel perfecti vel imperfecti ſeu præmaturi: illi ſunt vel viventes, qui qvoqve inveniuntur vel adhuc viventes, vel jam denati. vid. Carpz. *in Pr. Cr. q. 10*, vel ab initio ſtatim fuere mortui.

PARS II. PRACTICA.

§. 1.

VIdimus hactenus quosnam per infantes expoſitos intelligamus qva & a quibus exponi poſſint: reliquum eſt, ut videamus quoque, quid hanc ſequatur expoſitionem, quod eſt infantum inventio, ubi agendum de officio tam invenientium hos infantes, quam magiſtratus iſtius loci, inquo inveniuntur, quibus perſpectis, infantum quoque ultro adparebit conditio.

§. 2. Circa inventores diſtingvendum eſt, an ſint illi perſonæ privatæ, an vero ipſe magiſtratus; Si perſonæ privatæ, horum erit officium, denunciare hoc magiſtratui, & hoc quidem 1. propter amorem erga infantem, quia præſentisſima mors imminet, non ſolum ex loci acerbitate, ſed etiam ex egeſtate atque inedia, cum vento nemo vivere posſit *l. f. C. de alim. pup. præſt.* ibique Gotofr. *lit. l.* & cum duo pluraque vincula magis ligent, qvam unum *arg.* §. *1. I. de adopt. l. 89. ff. d. leg. 3.* ſciendum, hoc officium non ex uno ſolum jure dependere: 1. enim Sacro-Sancta Scriptura injungit nobis, tanto amore proſequi proximum, noſtrum, qvanto proſeqvimur nos ipſos *Levit. 19. v. 18. Matth. 22. v. 39.* taleque officium exhibere proximo noſtro, quale exhibitum cupimus ab eo *Matth. 7. v. 12.* jam vero quis negabit, quemlibet omnibus miſeriis, immo morti ipſi expoſitum ſibi ipſi auxilium, ſi modo poſſit, laturum, aut a proximo quolibet anhelaturum. 2. non ſola Scriptura Sacra, ſed naturalis qvoqve ratio hoc exigit, eſt enim naturale quaſi debitum commiſeratio *arg. l. 6. ff. de ceſſ. bonor.* quæ commovetur conſpecta indigentis miſeria, cum voluntas miſericordiæ ſit amica *l 2. C. de infant. expoſ.* quod jus, qvia divina qvadam providentia conſtitutum eſt §. *1. I. d. J. N. G. & C.* omnesque æquales habet *l. 32. ff. de R. J.* meri-

merito omnes homines sana utentes ratione obligat, absque ulla personæ habita ratione, ut & delicatissimus inveniens talem infantem causam non habeat, fastidire eum atque relinquere, vid. Hahn, ad Wesenh. *de Leg. n. 7.* II. propter amorem erga salutem publicam, cui expedit delicta impunita non manere *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aqvil.* Nec est quod metuant tales inventores expensas inquisitioni impendendas, cum judex hoc in casu ex officio inquirere teneatur, vid. D. Jani Tr. *de denunciat. evangel. in pr.*

§. 3. Quæritur autem, an hoc officium absolutæ sit necessitatis, ita, ut si quis illud omittat, incurrat pœnam civilem? Distingvo inter delatores publicos, qvos Irenarchas vocat Carpz. *in Pr. Cr. q. 104. n. 5.* & alias personas privatas: illi sunt, qui specialiter ad hoc, ut denuncient crimina, sunt deputati & juramento adstricti, ut demonstrat *ex l. 6. ff. de cust. & exhibit. reor. l. 6. §. 3. ff. ad SCtum Turpil.* Carpz. *cit. loc.* & de his dicerem, quod pœnam omnino incurrant propter juramentum præstitum, cujus violatio non est admittenda *arg. c. 2. X. de pact.* Has vero quod concernit, maxime ego dubito, qvia nemo tenetur regulariter delicta revelare Jason. *in l. 4. § 4. ff. de condict. ob. turp. caus.* Carpz. *in Pr. Cr. qvæst. 11. n. 49.*

§. 4. Ex dictis facile apparet, quid sentiendum sit de eo casu, si quis viator inveniat talem infantem viventem, cumqve propter negotia sua expedienda prætereat, & rediens inveniat mortuum, & tum demum indicet. Distingvendum scilicet est inter forum soli & poli seu conscientiæ: in illo omni exemptus erit pœna, quia hæc obligatio dependet ex jure saltem naturali, qvalis non est ad certam pœnam temporalem determinata, nec illius violatores in foro soli proportionaliter respectû delicti puniri possunt, uti eleganter demonstrat Dn. D. Janus *in cit. tr. c. 2. n. 4. & 5.* in conscientia autem qua ratione tutus esse possit, non video: licet enim ex debito misericordiæ nostræ alteri non nascatur jus actionem alteri producens, uti loquitur Hugo Grotius *l. 2. de J. B. & P. c. 11. §. 3.* in nobis tamen, eodem fatente, contrahitur obligatio, quæ non est plane nulla omnique vi indistincte destituta: misericordiæ enim exercitium injunctum nobis est ab ipsa natura pariter atque DEO: quo itaque majores sunt hi legumlatores, hoc majorem in ipsorum foro, divino scilicet & conscientiæ habent obligandi rationem; ut propterea Christus immisericordes eadem dignos

declaret pœna, qva digni, si ipsi Christo egeno opera misericordiæ denegassent, qvæ est ignis æternus, adde Frantzk. *libr. 2. Resol. 7.* Peretz *C. de mendic. valid.* taceo qvod vis propter hanc obligationem possit officium judicis implorare, ut ex *c. 21. c. 14. de 86. it. c. 1. dist. 82.* ostendit Johann. Baptist. Pontan. *de aliment. c. 11. n. 6.*

§. 5. Sed excusare videntur hunc ex sacris pariter Pandectis ac ex ipso naturæ jure depromptæ leges : In illis dicitur, qvod qvilibet proximum suum debeat diligere ut se ipsum, non vero magis, qvam seipsum : & charitatem incipere a seipsa, ipsa docet natura : jam vero qvis non videt, viatorem, auxilium tali infanti ferentem proprium impedire emolumentum. Duo hi oppositi nodi de dilectione proximi agentes uno solvi possunt cuneo ; planior autem ut res fiat, placet mihi, hoc loco mentem prius exponere, qvatenus nos cum nocumento nostro ad promptitudinem inserviendi proximo obstrictos esse putem, & tum demum ad oppositas respondere rationes. Scilicet distingvo inter bona spiritualia & corporalia : ad illa adipiscenda proximo nostro operam esse ferendam affirmare non dubito, licet per hoc corporalia nostra nobis deficere incipiant : qvid ? qvod, licet hoc fiat cum periculo vitæ nostræ Baldpin. *de cas. consc. l. 4. cap. 17. cas. 8. sub fin.* si scilicet rerum usus hoc postulet, ut bene annotavit Dauderst. *ad epist. Dom. 2. post. Trinit. p. 3. pag. m. 82.* Corporalia qvod attinet, sunt ea vel vitæ, vel fortunæ, & qvod ad illa conservanda manus auxiliatrices proximo nostro ferre debeamus, neglectis nostris bonis fortunæ, ipsa suggerit Scriptura Sacra *1. Joh. 3. v. 16. qvod autem,* inqvit prælaudatus Balduinus *c. l. D. Johannes scribit, nos debere pro nobis invicem animas ponere, non nisi promptitudinem illam notat, qvam qvilibet habere debet erga proximum suum, promptitudinem scilicet inserviendi etiam cum periculo.* Huc pertinet quoqve dictum *1. ad Corinth. 13. v. 5.* ubi dicitur, charitatem non qværere qvæ sua sunt, hoc est, charitatem non debere ita de suis esse solicitam, ut negligat proximum, interprete D. Chemnit. *in loc. theolog. p. 2. de vindict. p. m. 152.* Tandem bona fortunæ qvod concernit, locum habet in illis regula illa, qvod qvilibet sibi sit proximus. Jam ad præsentem casum, qvem si respicimus, videmus agi in illo de infantis expositi bono corporali quidem, sed vitam concernente, & de bono viatoris fortunæ : qvia vero qvilibet vere Christianus illud huic anteponere debet, ut jam fuit ostensum,

sum, adhuc scrupulum retinet viator, propter commodum proprium fortunæ talem infantem absque auxilio relinqvens.

§. 6. Qvod si vero ipse magistratus talem infantem repetiat, officium ipsius versatur tam circa infantes ipsos, qvam circa exponentes illos: Officium circa eos consistit in alimentatione & educatione: qvemadmodum enim magistratui vi jurisdictionis pœnæ pecuniariæ tanqvam commodum jurisdictionis sunt applicandæ, Carpz. *in Pr. Cr. q. 109. n. 41.* ita horum infantum alimentatio & educatio tanqvam incommodum jurisdictionis ad eundem pertinebit *arg l. 10. ff. de R. J.* Spectat autem hæc alimentatio vel ad animam, vel ad corpus: illuc pertinet baptizatio: ubi qværit, qvid faciendum sit in dubio, ubi ignoramus, an baptizatus fuerit infans expositus, an vero minus? Hic aliter sentiunt Pontificii, aliter nostrates: illi sub conditione, si baptizati non sint, infantes illos baptizandos esse docent: Caranz. *d. l. n. 55.* hi vero absque conditione: 1. propter summam baptismi necessitatem *Joh. 3. v. 5.* 2. qvia talis Pontificiorum baptismus nullius est efficaciæ ad consolandum baptizatum, dum semper est incertus. vid. Brochm. *in systēm. Univers. theol. de baptism. cap. 7. cas. consc. 6.* qvod in tantum verum est, licet etiam infanti schedula, qvæ de ipsius baptismo testatur, fuerit apposita. Sub alimentatione vero ad corpus spectante ut & educatione, quia ea favorabilis est, Petr. Rebuff. *tr. d. sent. prajudic. gl. 2. n. 1.* continentur non solum alimenta in specie, sed cætera qvoqve omnia ad vitæ humanæ sustentationem necessaria. *l. 5 §. 12 ff. de agnosc. & alend. liber.* v. g. habitatio *l. 6. ff. de alim. & cib. legat.* non obstante *l. 8. §. 12. ff. de transact.* qvia vocabulum alimentorum in finiendis iis per transactionem strictius accipitur, qvam in constituendis Hahn. ad Wesenb. *de alim. vel cib. legat. n. 1.* solet autem hodie habitatio plerumqve esse in hospitalibus & ergastulis, absqve catenatis tamen illis laboribus: cibaria, vestitus *l. 43. ff. de V. S.* aqva, in iis locis, ubi venalis exponitur: lecti, culcitra, medicamenta & alia. *l. 1. l 14. ff. de alim. leg.* Qvid autem dicendum de impensis ad disciplinas humaniores addiscendas, anne & illæ sub alimentorum vocabulo continebuntur? Distingvunt Dd. inter alimenta, qvæ debentur ex dispositione hominis, & ea, qvæ debentur ex dispositione legis: priori casu non continentur per *l. 6. §. 5. ff. de alim. & cib. legat.* posteriori vero debentur per *l. 6. §. 5. ff. de Carbon. edict. add. l. 4.*

 l. 2.

l. 2. pr. ff. ubi pupill. educ. debeat. l. 2. C. de aliment. pupill. præst. Hahn & Wesenb. *de alim. & cib. leg. n. 1.* Jam si præsentem respicio casum, dicerem omnino, comprehendi etiam sub generali vocabulo alimentorum impensas has, qvia magistratus non ex dispositione hominis, sed legis, ut supra dictum, hisce infantibus alimenta debet.

§. 7. Dixi spectare hoc onus ad magistratum propter commodum jurisdictionis, ea autem hodie communiter est duplex, alta scilicet, atque bassa, Eckold. *de jurisd. §. 2.* qvæstionis ergo est, ad qvam jurisdictionem pertineat? & prima fronte respondendum videtur, ad bassam, quia tractat hæc rerum civilium cognitionem & animadversionem Eckold. *cit. loc.* qvalis infantis expositi alimentatio & educatio dubio procul est: paulo autem exactius si rem pensitamus, omnino dicendum est, pertinere ad jurisdictionem altam, propterea, qvia principium atque ortus hujus alimentationis est criminalis, prout docet Dan. Moller. *in semestr. l. 4. sem. 45.* Ad communitatem vero illius loci, ubi infans est repertus, non spectare ex eo patet, qvia hæc educatio referenda est inter incommoda jurisdictionis: quia igitur de commodis nihil participat communitas, nec de incommodis qvicqvam sentire debet *l. 10. ff. d. R. J.* Carpz. *in Pr. Cr. qvæst. 10.* qui sententias has præjudiciis illustrat. adde eundem *in Processf. tit. 2. art. 1. n. 98. seqq.*

§. 8. Haud inconcinne hic qværitur, qvid dicendum, si magistratus inventor talis infantis hunc iterum in alterius territorium, ne impensas inqvisitioni impendere cogatur, exponat? Præter communem distinctionem, qvam trademus in subseqventibus, dicerem non levi se obstringere crimine, 1. enim agit contra præceptum divinum, qvod vult, ut puniat magistratus delicta, non vero delictis delicta superaddat. *ad Rom. 13. v. 1 2, 3. Prov. 20. v. 8.* 2. contra salutem reipublicæ, cujus interest delicta puniri *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aqvil. l. 9. §. 5. ff. de publ. & vect.* Qvæ vero obtinebit? Resp. privatio jurisdictionis: privari enim debet jurisdictione & potestate sua dominus, qui ea non utitur, cum possit ac debeat, immo plane abutitur Gail. *l. 1. obs. 28. n. 1.* Carpz. *l. 1. Resp. 53. n. 12.* idqve ideo, qvia indignus est beneficio, qvi illud negligit *l. 37. & 9. ff. de minor.* dein, ad exemplum emphyteutæ, qvi propter abusum privatur emphyteusi *auth. qvi rem C. de Sacr. Sanct. Eccles.* ibid. Brunn. *num. 3.* adde Carpz.

in

in Processf. Crim. q. 110. num. 76. ubi sententiam hanc præjudicio confirmat.

§. 9. Ulterius Quæritur, qvid juris, si nobilis, cui merum competit imperium, inveniat talem infantem viventem, &, ne illum alere cogatur, relinqvat donec moriatur? Resp. hic reus omnino est judicandus, 1. quia hujus delicti fuit conscius, illudque impediri non curavit, qvo casu omnino pœna arbitraria locum habet, teste Ulpiano *in l. 6. ff. ad L. Pomp. de parricid.* Carpz. *in pr. Crim. q. 11. n.* 48. Meier *in C. J. A. d. l. θ. 5.* 2. qvia revera concurrit ad homicidium: cum enim non solo corpore tale perpetramus delictum, sed etiam consensu Damhoud. *in Pr. Crim. cap.* 71. quis non perspicit, talem magistratum revera ad homicidium concurrere, præprimis sit accedat, ut hoc in casu, dolus malus, ut scilicet moriatur infans, ad evitandam alendi necessitatem, qui dolus omnium maxime facit, ut locum habeat pœna, *l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. l. 53. pr. ff. de furt.* 3. qvia qvi patitur id, qvod prohibere potest, immo debet, ipse facere videtur *arg. l. 13. §. 1. ff. de his qui not. infam. l. 4. de noxal. action. l. 6. ff. de jure patr.* Jac. de Bello Visu *in Pract. Crim. cap. 28. n. 3.* Quæ vero sibi vendicat pœna? Non certe ordinaria homicidarum, quia hoc delictum dependet ex omissione: licet autem & hæc verum inferat delictum *l.* 40. §. *1. ff. de judic.* delicta tamen per omisionem commissa semper sunt leviora, quam delicta commissionis *l. 13. §. 2. v. denique ff. de usufr.* Tiraquell. *de pœn. temp. caus.* 44. *n. 23. & seqq.* quia vero ex omissione quoque qvis tenetur, si scilicet alter ex ea damnum sentit *1. F. 17. ibi ad eorum damnum*, & de hoc in præsenti casu non sit dubium præter omissionem jurisdictionis, qvæ propter solam non-usurpationem locum habet, ut in §. præcedenti dictum, arbitrariam pœnam locum habere affirmare non vereor.

§. 10. Jam nova se offert qvæstio, an scilicet propter alimenta & educationem infans in educatoris constituatur potestate? quam negamus propter *Nov. 153. c.* 1. 1. quia collectio & educatio hominis in infantia expositi non est modus acqvirendæ potestatis. Rittersh. *ad Nov. p. 12. c.* 14. *n. 10.* 2. quia magistratus alimenta tanqvam incommodum jurisdictionis debet infantibus ex officio, uti supra dictum, 3. quia, si a privatis infans fuerit alitus, præsumitur factum hoc esse gratuito & ex pietate *l. 3. C. de infant. exposit.* gratuita autem mercedem non admittunt Godofr. *ad l. d. lit. E.* & officium pietatis venale esse non debet,

bet Brunnem. *ad dict. l. 3. num. 1.* Mejer. *in C. J. A. ad Leg. Pomp. de parricid, θ. 5. n. 6.* cum qvo convenit etiam jus Canonicum *c. unic. X de inf. & langv. exposit.* qvod in tantum verum est, licet etiam ab initio susceptor coram testibus protestetur, se non animo pietatis, sed ut utatur aliqvando infantulo, ut adscriptitio, teste Brunnem. *ad d. l. 3. C. h. t. n. 4.* Ergo plane non obstrictus est talis adultus nutricio suo? Sic est de rigore legis: æqvum tamen judicat Rittershusius, ut talis expositus gratus sit erga suum educatorem, eiqve refundat sumtus, si ipsis abundet, aut certe operas aliqvas ad tempus præstet, quibus illos sumptus compenset *cit. loc. n. 10.* Caranz. *d. tr. de part. c. 4. de partu exposito n. 39. 40. seqq.*

§. 11. Tandem etiam qværit. an talis infans postmodum possit vindicari? Distingvo inter expositum a patre, aut alio ejus nomine, qvo natus est, & inter expositum natum ex serva: illum pater vindicare non potest *c. 1. X. de infant. & langv. expos.* non ea ex ratione, qvod liber homo sit extra commercium *§. 1. I. d. usu cap. l. 83. §. 5. l. 103 ff de V. O.* proptereaqve non possit oppignorari *l. ult. ff. qvæ res pign. dari non poss.* nec donari nec vendi *l. 1. C. de patr. qvi liber. distr. l. 16. ff. de act. empt. l. 6. pr. l. 34. §. 2. l. 70 ff de contrah. empt.* nec ea, qvod parentes in liberos non habeant dominium *l. 23. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. possess.* qvod tamen ad rei vindicationem reqviritur pro fundamento *l. 13. pr. ff de R. V.* nec alius possessionem *d. l. 23.* quam etiam exigit rei vindicatio *l. 9 ff. d. R. V. l. 2. ff. de O. & A.* Sed qvia hoc in casu pater filium *suum* dicere non potest: suum enim qvis dicere non potest, Caranz. *de l. n. 43. 44.* qvem pereuntem contemsit *l. 2. C. de inf. expos.* ibiqve Brunnem. *n. 2.* qvoad hunc vero, natum scilicet ex serva, subdistingvo, an sit expositus inscio, an vero sciente domino; priori casu locum habet vindicatio ita tamen, ut expensæ restituantur *l. 1. C. de infant. expos.* si scilicet educator sit in bona fide, secus, si in mala, Rittersh. *ad Nov. p. 12. c. 14. n. 8.* posteriori vero neutiquam, *l. 2. C. h. t.* qvia qvod fit aliqvo sciente & non contradicente, fit ipso consentiente *l. 142. ff. de R. J.* ibiqve Philip. Matth. *n. 3.* Pœnæ autem quoddam genus est, qvod Dominus, si servum suum exponi passus est, dominium ejus amittit, ita ut non possit amplius eum tanquam servum suum vindicare & repetere, Rittersh. *cit. loc. n. 9.*

§. 12. Et hæc de officio magistratus respectu infantum inventorum,

rum, seqvitur, ut videamus illud qvoq; respectu infantes exponentium, qvo respectu consistit in pœnâ I. parentum, si ipsi *l. 22. C. de pœnis.* II. aliorum, si jussu parentum exposuerint, cùm delictum mandantis & mandatarii verè unum idemq; sit. Carpz. *in Pr. Cr. qv. 4. n. 5.* Quænam verò ea est? Resp. Est duplex: vel civilis, vel criminalis; illuc pertinet, qvòd pater amittat jus patriæ potestatis, eaq; propter ipsum vindicare non potest, nec propter spretum consensum nuptias impedire, nec propter exheredationem testamentum filii impugnare: licet filius patris testamentum nullum reddere possit: amittit enim pater potestatem in filii saltem odiosis, non verò favorabilibus *arg. l. 65. §. 5. ff. pro. soc.* De hâc verò respondent Valentinianus, Valens & Gratianus, eos subjacere animadversioni, qvæ constituta est, nec tamen exprimunt, qvæ & qvalis sit animadversio *in l. 2. C. h. t.* Hinc communiter Dd. concludunt, pœnam esse arbitrariam Brunn. *ad d. l. n. 1.* Rittersh. *sæpe cit. loc. n. 6.* qvod latè secundum temporum diversitatem explicat Alph. à Caranza *de part. nat. & leg. c. 4. de part. expos.* Hanc autem generalitatem expressit Carolus V. *in constitutione Criminali art. 132.* ille enim distingvit, aut infans expositus mortuus reperiatur, aut vivus: priori casu exponens capitali supplicio affici jubetur: posteriori jubentur consuli collegia juridica: Licet autem hæc constitutio in nostris etiam terris observetur, maximè tamen attendendus est hoc in casu finis, de qvo in parte priori §. 10.

§. 13. Igitur ut distinctè procedamus, seqventes à se invicem distingvere casus placet:

I. Si infans fuerit expositus, ut ejus evitetur mors, tunc videndum, an factum hoc sit 1. ex timore superioris vitæ infantis insidias struentis, qvam ob causam Moysen expositum suprà adduximus; qvod etiam contingere potuisset, si non contigit, tempore Herodis infantes tempore nativitatis Christi interfici curantis: & hoc casu nulla locum habet pœna, sive vivus reperiatur infans sive mortuus, 1. qvia deficit animus atqve propositum interficiendi, ad qvem vel maximè in delictis respicitur *l. 53. pr. ff. de furt.* 2. qvia adest è contrario animus conservandi infantem, qvi laudem potius, qvàm pœnam meretur, licet eventus illi non respondeat *arg. l. 17. §. 3. ff. de usur.* 3. qvia talis infans expositus ante expositionem jamjam mortuo non est absimilis, qvo casu sufficit qvocunq; modo consuluisse ejus vitæ, licet

C spes

ſpes decollet *arg. l. 1. in f. ff. de his qvi mort. ſibi conſc.* 2. an verò factum hoc ſit ex urgente egeſtate, v. gr. ſi meretrix ne obulum qvidem, cujus auxilio alimenta infanti præſtare poſſit, poſſidens, in plateam publicam exponat filium alterius miſericordiæ, isq; pereat: & hoc impune neutiqvam ferre debet rea: licet enim voluntatem directam necandi non habuerit, de morte non cogitans, adeoq; propter dolum puniri non poſſit, habuit tamen indirectam, dum de eâ cogitare potuit immo debuit, adeoq; propter latam culpam pœna erit infligenda, de qvâ paulo poſt pluribus. Carpz. *in Pr. Cr. qv. 1. n. 29. ſeqq.* accedit, qvod alia remedia licita adſint, v. gr. mendicandi, qvæ arripere prius debet, qvàm ad maximè extraordinarium deveniat. *l. 16. pr. ff. de minor.*

II. Si infans expoſitus ſit, ut ipſius acceleretur mors, diſtingvendum eſt, an vivus reperiatur, an verò mortuus: priori caſu utrum capitalis, an verò arbitraria locum habeat pœna, inter Dd. lis eſt. Pro illa facit, qvod effectus & ſolus conatus eâdem pœnâ ſint afficiendi, effectu etiam non ſecuto §. 5. *I. de publ. judic.* qvia verò plerumqve reſtringunt dictum §. Dd. ad delicta ſaltem atrociſſima, v. gr. læſæ majeſtatis, aſſasſinii &c. Mejer. *in C. I. A. ad L. Corn. de Sicar. θ. 3.* inq; delicto homicidii omnes leges affectum punientes de conſvetudine generali ſint ſublatæ Schneidvv. *ad §. 6. I. de publ. jud. n. 4.* Ludvv. *in Comm. ad I. §. 5. d. t.* Hahn. *ad Weſenb. ad L. Corn. de Sicar. n. 14.* hoc qvoq; in caſu arbitrariam locum ſibi vindicare ut dicamus fas erit, qvam Sereniſſimus Elector Saxon. in ſuis ditionibus reſtrinxit ad fuſtigationem cum perpetuâ relegatione *Nov. Deciſion. 78.* Poſteriori autem caſu locum habet pœna Legis Corneliæ. 1. qvia nihil intereſt, occidat qvis, an cauſam mortis præbeat *l. 15. pr. ff. ad L. Corn. de Sicar.* 2. qvia necare videtur non tantum is, qvi partum perfocat, ſed & is, qvi abjicit & alimonia denegat *l. 4. ff. de agnoſc. & alend. liber.* Et ſi parentes ipſi liberos exponant, ſoli etiam puniuntur *l. 22. C. de pœn.* ſi verò ipſorum juſſu extraneus, uterq; tenetur *arg. l. 11. §. 3. ff. de injur. & famos. libell.* deq; hoc nullum eſt dubium, de illis teſtatur antea allegata *l. 15. §. 1. ff. ad L. Corn. de Sic. c. 72. X. de R. J. l. 169 ff. d. R. J.* Unde verò animus ille accelerandi mortem erit dignoſcendus? Reſpondet Carpz. ex loco, in qvem repoſitus eſt infans: is enim ſi ſolitarius eſt, & â conſpectu hominum alienus, eâ intentione facta videtur

detur expositio, ut inediâ consumatur infans Carpz. *in Pr. Cr. q. 101 n.5.* qvòd si verò animus necandi aliunde probari possit & effectus secutus sit, tunc locum habet pœna ordinaria, sive in loco solitario sive in populoso facta sit expositio. Hahn. ad Wesenb. *ad Leg. Corn. de Sicar. n 14.*

III. Si infans expositus sit ad evitandam infamiam aliasqve ob causas in §. *9.* prioris partis relatas, attendenda iterum est antea data distinctio: an scilicet mortuus inveniatur infans, an verò vivus: Si prius, videndum, an infans ab initio fuerit talis, an verò ex post facto *vid.* §. *15. prioris part.* ubi medicis relinqvimus, qvænam signa sint sufficientia. Si ab initio fuit mortuus & expositus, ut evitetur saltem infamia, pœna erit levior, cùm hoc in casu vita hominis non fuerit in periculo, qvod tamen fundamentum existit pœnæ superioris. Si autem constat vixisse infantem, ulterius inqvirendum est, an per solam expositionem, an verò ante eam per matrem enecatus fuerit infans? potuit autem enecari à matre vel per commissionem, cranio vel cervici manus violentas inferendo, daß sie dem Kinde den Kopff oder das Genicke eindrücket / hocqve facilè constare potest ex relatione medicorum seu chirurgorum post inspectionem, ad qvam qvid reqviratur, tradit Carpz. *in Pr. Cr. q. 26. n. 30.* factam, cui merito credendum, Gail, *l. 2. obs. 111. n. 3.* hoc in casu ordinaria homicidarum pœna, culei scilicet, & in iis locis, ubi aqva deficit, rotæ locum habet *l. unic. C. de his qvi par. l. liber. occid.* ibid. Brunnem, *n. 6.* vel per omissionem v. e. si puerpera sola existens præ nimiis doloribus infanti recens nato succurrere non possit, purgando eum, vasa umbilicalia obligando &c. qvibus casibus pœna nonnunqvam mitigatur, & rea gladio vel etiam pro diversitate circumstantiarum mitiori pœnâ plectitur. Carpz. *p. 4. c. 4. d. 5.* Si verò posteriori casu, uti plerumqve fieri solet, infanticidium neget infanticida, absqve ullâ tamen probatione (versatur enim in facto illicito, ubi præsumtio contra illam militat) fides ipsi statim habenda non est, sed si aliæ circumstantiæ accedant, de qvibus prudens judex judicabit, hisce svadentibus pro earum qvalitatibus devenire solemus ad torturam vel corporalem vel spiritualem. Qvòd si verò testibus probari potest enixam fuisse puerperam infantem inanimem, seu perfectus is sit, seu minus, inqvirendum, an potionibus illicitis illum procuraverit, an verò legitimo naturæ ordine ediderit:

rit: siq; de priori constat, ultimo etiam afficitur supplicio, Brunn. *ad l. 8. C. ad Leg. Corn. de Sicar.* modò foetus adhuc in utero existens fuerit animatus Wissenb. *in exerc. ad ff. p. 2. exerc. 31. θ. 5.* aut mater abegerit foetum propter pecuniam acceptam *l. 39. ff. de Pœnis.* Schneidvv. *ad §. posthumi I. de exhered. libr. n. 6.* Carpz. *p. 4. c. 4. d. 4.* nec obstat qvoad prius, qvod in *l. 1. §. 1. ff. de ventr. insp. l. 9. §. 1. ad L. Falc. l. 14. C. de fideicomm. libert.* (qvi textus multos ad contrariam opinionem moverunt, Ungeb. *exercit. ult. θ. ult.*) foetus in utero spes saltem hominis portioq; mulieris vel viscerum ejus dicatur, non verò homo, & Lex Cornelia de sicariis hominem saltem respiciat *l. 1. & tt. ff. & C. ad L. Corn. de Sicar.* qvia respiciendum est ad fundamentum hujus pœnæ, qvod est internecio foetus, circa qvam pro jam nato habetur *arg. l. 7. ff. de stat. hom.* Inanimatum verò si abegerit, arbitrariæ subjacet pœnæ *l. 4. ff. de extraord. crim. l. 8. ff. ad. L. Corn. de Sic.* Hahn ad Wes. *de extraord. Crim.* P. H. O. *art. 133.* ibiq; Blumlacher *n. 1.* adde Carpz. *in Pr. Cr. q. 11. n. 3. seqq.* Si verò per solam expositionem in vivis esse desierit, locum habere dicunt fustigationem cum perpetuâ relegatione Hahn. ad Wesenb. *ad L. Corn. de Sicar. n. 14.* cui duo obstare videntur, 1. qvod nihil intersit, utrum qvis occidat, aut mortis causam præbeat, juxta sæpius allegatam *legem 15. ff. ad L. Corn. de Sic.* 2. qvòd dans causam rei illicitæ teneatur de omni eo, qvod seqvitur *arg. l. 6. C. ad Leg. Jul. de vi publ. & priv.* qvia vero *allegata lex 15.* ita intelligenda est, si animo occidendi qvis mortis causam præbuerit Wesenb. *ad L. Corn. de Sic. n. 12.* ibidemq; Bacchov. qvi tamen hoc in casu cessat, lex verò *6. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv.* saltem vera est, si loqvamur de causâ ordinariâ Brunn. *ad c. l. n. 2.* quæ itidem hoc in casu deficit, nihil prætetea obstabit, qvo minus antea allegatam ex Hahnio sententiam & nos defendamus. Posteriori casu qvando scilicet incolumis reperitur infans, qvænam irroganda pœna, non conveniunt. Dd. Colerus enim *p. 1. decis. 58. n. 2.* Berlichius *part. 4. concl. 7. n. 36.* aliiq; hoc in casu æq; ac in priori fustigatione puniendos esse sontes contendunt, proq; hâc sententiâ allegant sententiam latam à scabinis Wittebergensibus: refutat autem illos Carpz. *in Pr. cr q. 10. n. 15.* & ostendit solam relegationem sufficere, qvem nos qvoq; seqvimur.

§ 14. Ab hisce autem pœnis immunes sunt I. furiosi, infantes exponentes *arg. l. 12. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 9. §. 2. ff. ad L. Pomp. de parricid.*

cùm

cùm enim in delictis maximè spectetur voluntas *l. 1. §. 3. l. 7. l. 14. ff. ad L. Corn. de Sic.* & animus delinqvendi reqviratur *arg. l. 53. pr. ff. de furt.* hic autem in furiosis deficiat *l. 40. ff. de R. J.* utpote qvi qvod faciunt ignorant *l. 2. C. de contr. empt. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aqvil.* qvis pœnâ hâc dignos judicare velit furiosos? adde Carpz. *in Pr. Cr. q. 145. n. 9. seqq.* Qvid verò II. dicendum de mente captis infantum expositoribus? Hic cautè procedendum puto in dignoscendâ dementiâ: non autem eam in sententiam inclino, qvasi putem adeundum esse Paulum Zachiam, & sententias secundum innumeras *in qvæstionibus Medico-Legalibus libr. 2. tit. 1. qvæst. 2.* recensitas dementiæ species ferendas, sed commodè dementiam in tres gradus dividendam puto, qvibus observatis, res erit facilis: primi gradus sunt dementes propriè sic dicti, die rechten Sinnenlosse/ qvi à furiosis non nisi qviete distant, Ludvv. *in Comm. ad §. 4. I. de cura.* Paul Zach. *in decis. ad qvæst. 2. n. 2.* & de his dicendum, dignos pœnâ non esse, cum in his æqve ac in furiosis omne delinqvendi propositum atqve consilium desit. Secundi gradus sunt illi, qvi ratione qvidem utuntur, modo tamen inordinato & valde deminuto, qvi pueris comparantur & germanicè dicuntur die Kindischen Zach. *all. loc. qvæst. 7. n. 30. seqq.* Tertii gradus sunt, qvibus qvidem est intellectus, obtusior tamen & stupidior, qvi in omnibus sunt tardi atq; timidi, qvos grossulanos vocant interpretes Carpz. *in Pr. Cr. q. 145. n. 5.* qvalis Melitides ille, qvi, ductâ uxore, illam non attigit, veritus, ne illa ipsum apud matrem accusaret vid. Zach. *c. 1. q. 7. n. 11.* de his & illis dicendum puto, qvòd omnino absolvendi non sint: licet enim ex dolo non obligentur, obligantur tamen ex culpâ: ideoq; juxta distinctiones antea traditas modò severiùs, modò mitiùs puniendos existimo, pœnâ sc. extraordinariâ, pro arbitrio judicis. vid. Menoch. *arb. jud. qvæst. l. 2. cas. 324. n. 21.* nunqvam autem in his ad ultimum deveniendum est supplicium, licet corporaliter, v. gr. virgis puniri possint. adde Carpz. *sæp. cit. qvæst 148. n. 50.*

§. 15. III. Prædicta pœna cessat etiam in ebrio infantem exponente *arg. l. 6. §. 11. ff. de re milit.* modò ebrietas sit tanta, qvæ omnem rationis usum impedit. Hahn ad Wesenb. *ad L. Corn. de Sicar. n. 14.* in his enim, cùm furiosis sint simillimi, Menoch. *arb. jud. qvæst. l. 2. c. 326. n. 1.* qvorum voluntas nulla est *l. 40. ff. de R. J.* cessat qvoqve omnis voluntas & dolus, sine qvo, uti nullum, ita & hoc delictum non committitur. adde

 Carpz.

Carpz. *in Pr. Crim. q. 146. n. 32. seqq.* hæc autem, qvæ de furiosis, dementibus atqve ebriis dicta sunt, ut accuratius intelligantur, tres casus à se invicem discernendos puto, 1. enim vel parentes sunt talesipsiqve exponunt infantes, qvo casu juxta jam tradita vel nulla vel mitior locum habet pœna: vel 2. parentum furiosorum, dementium jussu exponunt eos alii, qvi tales non sunt, & hos illorum furor vel dementia non excusat, qvin potius secundum regulas antea datas puniuntur: vel 3. soli exponentes, non verò parentes furore vel dementiâ laborant, ubi non illi, sed soli hi pœnas luunt, pront hæc omnia ex antea traditis patent.

§. 16. Tandem IV. cessat etiam in inscio, si v. gr. qvis infantem supparis involutum alicui sub prætextu catulorum recens natorum exponendum tradat, qvod fecit Commitissa illa, cujus in proœmio mentionem fecimus, illeqve parum attendens qvid gerat mandatum, exeqvatur: cùm enim hic omnis doli sit expers, pœnâ qvoqve ne afficiatur, juxta antea tradita, dicendum est: licet pro diversitate casuum supina alicujus ignorantia omnino arbitrariè puniri qveat.

§. 17. Et hæc sunt, L. B. qvæ de infantibus expositis censuræ tuæ exponere volui; perlege ea, & si qvid inveneris, qvod ad tuum non est palatum, de eo tuam mihi expone mentem; legibus pariter atqve rationibus magis si conveniet tua, qvam hæcce mea, lubens meam supprimam, tuæqve assurgam: absit modo præcox judicium cum dente theonino. Vale & Divino Numini mecum dic laudem, honorem, gloriam.

MANTISSÆ.

I.

LEges civiles subditos obligant etiam in conscientiâ. Struv. *exercit. 2. θ. 13. 14. 15.*

II.

Magistratus in Republicâ ea etiam, qvæ sunt contra jus naturæ, non-

nonnunqvam permittere poteſt. Ziegl. ad Grot. *p. m 65. & d. Jur. majeſt. Diſp. 3. th. 43. ſeqq.*

III.

Invaſus propter ſalutem invadentis æternam tutelam ſalvâ conſcientiâ omittere non poteſt. Grot. *d. J. B. & P. l. 2. c. 1. n. 3.*

IV.

Studioſus coram oppidano magiſtratu civem conveniens coram eodem reconveniri non poteſt. Svevus *ad Auth. habita, C. ne fil. pro patr. peric. 6. θ. 4.*

V.

Animus patris conferendi ſumptus in ſtudia filii poſitos ex eo ſolo non comprobatur, qvòd pater in peculiari chartâ eosdem annotaverit. Richt. *ad dict. auth. D. 5. θ. 7. Deciſ. Elect. 50.*

VI.

Repreſſaliæ jure exercentur, ab iis tamen immunes ſunt Studioſi. Svevus *cit. loc. peric. 5.*

Madrigal:

DEr Unschuld selbst / und ärmsten von den Armen /
Die durch sehr freche Hand
Elendiglich und dennoch ohn erbarmen
Sind weggesetz't an einen frembden Ort /
Den redest du das Wort:
Doch können sie aus Kindheit noch nicht lallen /
Daß sie dafür dir liessen Danck erschallen /
Aus Armuth auch dir keine güldne Rosen
Zur Gabe stellen dar:
Drumb wird / der dort des weggesetzten Mosen
Getreuer Schutz-Herr war /
Dich bald dafür (du führ'st der Armen Sachen)
Zum grossen Mann und Advocaten machen.

Welches dem Herrn Respondenten aus Brüderlichen Gemüthe wüntschet

Gottfried Thielemann /
Philos. Bacc. & SS. Th. St.